DE

SIGNIS GRAVIDITATIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XII. M. OCTOBRIS A. MDCCCL

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

VITUS WEISS

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

PAUL. RIBBECK, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.

V. STRASSMANN, MED. ET CHIR. DR., MED. SLESV. HOLS. MIL.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PATRIS MANIBUS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

DE KIESTEINE.

Nunquam forte magis periclitatur fama medici, quam ubi agitur de graviditate determinanda: undique fraudes, undique saepe insidiae struuntur incautis. Omnes enim, qui de graviditatis signis scripserunt, quamvis longo artis obstetriciae usu celebres fuerint, unanimi ore fatentur, primis praecipue mensibus signa graviditatis satis incerta esse.

v. **Swieten**, comment. sect. 130.

CAPUT I.

De graviditate doctrinae non eadem fuit evolutio physiologica, quae aliis hujus scientiae partibus. Non est, cur hic disquiram, unde haec facta sint, dummodo detrimenta respicias, quae singulam supervenia nt doctrinam, quum angustius conjuncta sit alteri ejusdem scientiae parti, jam provectiore in evolutione, quam illa igitur sequi oporteat, quamvis idonea observationum copia eam non adjuvet. Talis erat conditio kyologiae, quum recentissimis temporibus physiologia summo studio ad basin revocaretur anatomicam. Hujus mutationis effectus mox patebant in rejectione signorum a majoribus magnopere aestumatorum, quae quidem saepius hypothesibus mysticis et fabulosis connexa, omnia

tamen graviditatis phaenomena non alia quam universo mulieris organismo complicata esse produnt. Hujuscemodi uroskopiae erant medicorum medio aevo florentium (Wallaei, Fernelii, Rosini, Lentuli, Regae, al.), mensuratio colli ab iisdem instituta, praesagia e colore faciei, ex incremento lenticularum et ephelidum petita (Albertus Magnus de secr. mul.; Ryfii Rosengarten), signa e colore et intumescentia mammarum areolae [Smellie, W. Hunter, Roederer [1])], cephalaeae genus singulare [Beccaria [2])] et alia.

Haec dum nostra aetate abjecta sunt, graviditas adeo sola uteri affectio haberi coepta est, unde exorta est multitudo ista signorum laboriose investigatorum, accurate inter se discretorum, fere omnium autem ridiculo laborantium vitio, nempe quod in qualibet menostasia quoque appareant. Talia erant: signum a Jacquemin observatum (couleur de lie de vin), jam a Lisfranc [3]) fluxu appropinquante menstruali semper visum; malacia oris tincae, quam

---

[1]) Elem. art. obstetr. § 147.

[2]) Annali universali di med. Septbr. 1830.

[3]) Maladies de l'utérus. p. 17.

Chambon [1]) jam paucis horis post conceptionem invenisse se dicit, intumescentia labiorum uteri ad fovillam hujusque superficies granulosa, signum a Chr. Fr. Michaelis [2]) prolatum; auctore porro Osiandro [3]) pulsus vaginalis etc.

Utriusque autem horum signorum generis quae medium tenent, quin studium medicorum tam pro hac quam pro illa scientiae methodo arma tollentium certius excitarent, non dubitare licet. Inter illa praecipue eminet observatio ista a Nauchio iterum in lucem prolata pelliculae super gravidarum urina exorientis. De hoc signo quum amplius disserere mihi in animo sit, hic jam locus videtur idoneus, quo accurate describam hoc phaenomenon, quale praebuerit sese et mihi et, qui viderunt, mecum consentientibus.

Si urina matutina mulierum gravidarum in vase vitreo alto atque angusto colligitur neque movetur, primum mucus, cujus copia semper largior est, speciem atque formam nubeculae densae prae se

---

[1]) l. Mades femmes. Vol. 5. p. 32.

[2]) Birnbaum, Zeichenl. d. Geburtshülfe. S. 233.

[3]) Hannov. Annal. T. 1. Sct. 2.

ferens, residit. Totum denique liquidum turbatur et eodem fere tempore in parietibus et in fundo vasis floccosa praecipitata et in superficie pellicula tenuis, plerumque glutinosa spuma mixta, formantur. Primae hujuscemodi depositiones interdum jam post sex vel viginti quatuor horas, plerumque autem duobus tribusve diebus interjectis nobis occurrunt. Si urina non colatur, sedimentum Kiesteines sicut tegumentum densum, ex albo flavescens, supra nubeculam muci magis pellucidam considit, neque ab ea postea ullo modo separari potest. Est igitur urina colanda, aut saltem post nonnullas horas a sedimento muci accurate cauteque disjungenda. Insequentibus diebus et sedimenta copiosiora et pellicula crassior et magis cohaerens fiunt, ut ope spatulae tota pellicula, aut tantum pars ejus tolli possit, ob consistentiam, quae aut cum membranula adiposa jusculi refrigerati, aut cum tenui lactis cocti membrana eadem esse solet. Pellicula autem per plures dies ab urina sustenta tenuior fit et saepe sua sponte friatur, quod eo facilius fieri solet, si liquidum concutitur seu movetur; denique in fundum cadit, ut sedimento se immisceat. Primis diebus ex urina nonnunquam, neque vero in omnibus

casibus, odor percipi potest, qui manifeste caseum redolet, postea autem fragrante atque pungenti odore ammoniaci, quod largiter prodit, obtegitur.

CAPUT II.

Jam antiquissimis ex temporibus [1]) illud fluidum eximia cura dignum visum est, et magna prostat sententiarum de ejus in dignoscenda graviditate pretio diversarum copia. Inter quas praecipue Savonarolae [2]) dignissima mihi visa est, cujus mentio fiat, quippe quae non modo primum ab hoc auctore prolata esse tradatur, sed in multis quoque recentioris aetatis de hac re scriptoribus verbotenus fere iterata sit. Accuratissime eximius ille medicus ortum describit et decursum pelliculae, quam primus et summo quidem jure dicit ab aliis formationibus similibus discrepare evolutione e sedimento jam priore facta. [Hoc discrimen a Nauchio non affertur, qui in describenda eadem pellicula ferme omnino Avi-

[1]) Avicennae lib. canon. de med. cordial. Ven. 1555. lib. 3. tr. I. cap. 2. Abulfarag. hist. dynast. p. 229. Rodericus a Castro de univ. muliebr. morb. med. Hamb. 1662. p. 113.

[2]) J. M. practica ad omnes aegritudines utilissima. Ven. 1518. p. 251.

cennae de hac re sententiam et verba sequitur [1]).] Praecipue autem animadvertenda est ejusdem auctoris opinio, quam de physiologica illius phaenomeni causa et dignitate profert [2]). Hoc quoque exemplum et id quidem laudabile posteriores secuti sunt auctores studio non aeque laudabili. Caseini ista mihi in mentem venit definitio ex odore casei putrescentis simillimo petita. [3])

Per longum inde tempus haec seposita erant, quamvis a nonnullis auctoribus in memoriam revocarentur, e. g. a Fodéré [4]), quum anno 1831 Nauche audaci manu pelliculam ut principium lactis in mammis jam secretum in arenam duceret. [5]) Et Anglici medici et Gallici, non dexteritate illi quidem, sed studio eminentes, eodem descendebant, unde curiosa multa et inter se discrepantia evenerunt. Chemica scilicet scientia nodum solvere non poterat

---

[1]) Hujus spolii Eguisier, sed immerito ab Hoefle arguitur.

[2]) „et attende, has materias non per os matricis egredi, sed ad venas reverti et per eas tandem ad vias renum duci" l. c.

[3]) Guy's hospital reports. No. X. April 1840.

[4]) méd. légale t. I. p. 435.

[5]) Journ. de chimie méd. II. Série. T. 5. p. 64. Lancet 417. p. 975. Froriep's Not. T. 32, 686. (Novbr. 1831.)

lysis voluntariae et complicatissimae adeo, quamdiu et recentis compositio urinae difficultates ei maximas necdum solutas pararet. Semiotice autem irridebat theses, interdum quidem fraude mulieris hystericae [1]) exortas, nunquam autem dioptri [2]) et catheteris usu probatas.

Physiologia abhorre bata materia, quae vix visa et summis adhuc dubitationibus subjecta, jam maxime vagas fovere coepit hypotheses. Omnis denique scientia genus recusabat disquisitionum, quae non sine ira et studio inceptae, nec accurate continuatae et aliae aliis contrariae, vehementem tamen totius de metamorphosi doctrinae aggressum conantur. Unde evenit, ut neque physiologi, neque medici ipsi studiose incumberent in perscrutandum illud phaenomenon, scriptores autem accuratiorem ejusdem rei definitionem negligerent [3]), et pauci illi, qui chemica vel physiologica experimenta instituerent, hisce et hypothesin et phaenomenon ipsum ne-

---

[1]) Vigla, étude microsc. de l'urine. l'Expérience. I, 187.

[1]) Breviore hac speculi vaginae designatione jam Paulus Aegineta utitur.

[1]) Hohl, geburtsh. Exploration. T. 2. p. 22. Birnbaum, l. c. p. 223 et 501! Henle, Valentin, al.

gare intenderent. Qua enim nisi hac ratione justum et aequum cel. Hoeflii de Kiesteine judicium haberi posset, qui experimentis adjutus, semet ipso judice minimi aestimandis, acerrime aggreditur defensorem Kiesteines, Kilianum, eum et simul pelliculam famosam castigans et sic quaestionem finiens: „Während nun Kilian das Häutchen also aus Phosphatkrystallen und Kügelchen bestehn läſst, will er andererseits auch Denen beipflichten, welche das Häutchen für Casein halten; er giebt zu, daſs auf dem Harne Nichtschwangerer und sogar auf dem von Männern ähnliche Häutchen vorkommen, und dagegen das Kyestein auf dem Harne Schwangerer fehlen könne; und obgleich er kein einziges Unterscheidungsmerkmal für das Häutchen auf dem Harne von Männern und das auf dem Harne Schwangerer angiebt; so hält er es dennoch für ein Zeichen der Schwangerschaft, wenn es „sehr dicht und kräftig," dabei „stark opalisirend" ist und sehr deutliche Kügelchen enthält. Wenn das letztere aber alles beim Harne eines Mannes vorkommt, ist alsdann der Mann etwa auch schwanger?" [1])

---

[1]) M. A. Höfle, Chemie u. Mikrosk. am Krankenbette. Not. p. 152.

Eodem argumentandi modo fieri posset, quum illa Humboldtii de viro lactante narratio dubio plane careat, ut cel. Hoefle viris uteros vindicaret, aut feminis lactandi facultatem abjudicaret. Num autem hic auctor experimenta integra esse crediderit, quae ipse ab omni judicio remota dixit?

Recte enim: „Um in der Beurtheilung aber ganz sicher zu gehn, ait, mufste der Harn eigentlich unmittelbar durch den Katheter aus der Blase entzogen sein; denn dafs sich demselben von dem zur Zeit der Schwangerschaft ohnehin reichlicheren Absonderungsprodukte der Vaginalschleimhaut Bestandtheile beimischen können, wird Niemand bezweifeln[1])." In eadem autem libri sui pagina tres affert observationes gravidarum; „denen er den Harn nicht mittelst des Katheters entziehen konnte, doch — litt keine der Frauen an Leukorrhöe." Solae autem erant illae tres gravidae, quarum urinam in primis graviditatis mensibus, prosperrimo quidem pelliculae observandae tempore, inquirere potuit. In sex aliis scilicet, quarum gestatio jam crisi appropinquabat, urinas ope catheteris emitti jussit, quae, etsi ha-

[1]) l. c. p. 153.

bitu et decompositionis decursu non constante neque inter se aequali, omnes tamen pelliculas exhibebant. Hic saltem eventus quaestionis illius vexatae veritatem refellere eo minus mihi videtur, quamvis cel. Hoefle negare conetur, quum plurimi de hac re scriptores[1]) pelliculam in ultimis graviditatis mensibus vel nunquam, vel imperfectam modo apparere testentur.

Inprimis autem methodus observandi ab illo auctore adhibita magnopere mihi reprehendenda videtur. Ut exemplum afferam: „Bei den sechs Schwangern, unter welchen vier sich im achten Schwangerschaftsmonate befanden, zwei nach wenigen Tagen niederkamen, wurde der Harn mittelst des Katheters entzogen. In drei Fällen war der Harn am dritten Tage bereits alkalisch geworden, in den drei übrigen war er um diese Zeit noch sauer. Die alkalisch reagirenden Harnproben waren mit Phosphatkrystallen bedeckt und zeigten einen weifsen Bodensatz; die sauer reagirenden dagegen einen ziegelrothen, der aus Uraten bestand, welche letztern auf der Oberfläche auch ein dünnes Häutchen bildeten.

---

[1]) Stark, Eguisier, alii.

Aufserdem zeigten die drei sauer reagirenden Harnproben Krystalle aus kleesaurem Kalk und besafsen noch am achten Tage deutlich saure Reaktion. Das Häutchen bildete sich auf den alkalischen Harnproben viel deutlicher aus und bestand aus den erwähnten Krystallen, ferner aus Infusorien und amorpher unorganischer Masse[1]." Hic quidem desideratur non modo descriptio variatae urinae, quod diluciditatem attinet et turbationum modum, nec modo disquisitio chemica materiei ad rem praecipue spectantis „des weifsen Bodensatzes" et „amorphe unorganische Massen;" sed deest quoque omnis nota de habitu tam muci quam adipsis, nunquam in urina leucorrhoicarum, quales semper sunt in graviditate provectiores, deficientium. Silentio denique praeterit auctor habitum urinae per primos tres dies, gravissimum illud in cujuslibet urinae dijudicatione momentum, praesertim autem in gravidarum lotio, testibus Kane, J. Stark, aliis. E contrario autem cel. Hoefle levitate ista, qua sententias et disquisitiones aliorum toto suo libro commiscet et judicio ita acuminato artem exercet criticam ope unius ad-

[1]) l. c. p. 158.

versus alterum et vice versa, aliorum opiniones detrectat, interdum quoque non omnino perceptas. Exempli instar sit, quod profert[1]) contra Zimmermannum, connexum ab hoc scriptore creditum esse inter magnesiam phosphoricam in hujuscemodi urinis praevalentem et animalia infusoria, „qui vix comprehendi possit[2]).“ Facillime autem, quum legeris deductiones hoc modo infestatas[3]), dispicies, qua in parte sit error. Ipsae autem auctoris istius observationes vix magni aestimari posse mihi videntur, nam quum rem summi discriminis, colorem dico violaceum, quem pellicula praebet acido hydrochlorico cocta, ex infusoriorum commixtione [non modo vibrionum, sed monadum quoque, ut Hoefle[4]) docet, Simone adversante, qui duo haec genera eodem tempore apparere negat[5])] deducit et declarari vult, eum fugisse videtur, proteinicam animalculorum istorum

---

[1]) l. c. p. 151.

[2]) Simson, qui in partes discessit Hoeflii, in dissertatione sua amplius etiam hanc accusationem eo extendit, quod infusoria secundum Zimmermannum magnesia alantur et foveantur.

[3]) Casper's Wochenschrift a. 1846. p. 370.

[4]) l. c. p. 159.

[5]) Simon, Beiträge zur Chemie und Mikrosk. p. 355. 356.

compositionem nondum probatam esse, immo acidum hydrochloricum in ea non ita reagere, ut in proteinica corpora. Omnino perspectum habet cel. Hoefle, characteristicum esse signum pelliculae, ab omnibus notatum scriptoribus, quod fiat cremor iste ascensione particularum jam antea formatarum, quod phaenomenon Starkio[1]) sufficiens visum est ad divisionem Kiesteines et Gravidines statuendam; porro optime idem scit, plane negandum esse hunc evolutionis modum, aut probandam similem in aliis quoque urinis ascensionem, si de dignitate ejus diagnostica judicetur, at de hic rebus omnibus cel. Hoefle tacet. Pelliculas contra, quo tempore invenit in praegnantium lotio, non disquisivit die secundo, sed intactas reliquit, ut compararet, quae in urina virorum juxta posita fortasse evolvi possent. Itaque exspectavit usque ad diem decimum, vel ad putredinem perfectam, acta igitur ab eo reposita sunt in „nidos vibrionum." Nimirum „multi medici, qui rerum, quae manifeste conspiciuntur, causas reddere nequeunt, eas esse omnino negant[2])."

---

[1]) J. Stark in Edinb. med. and surg. Journ. 1842. Jan. p. 156.

[2]) De locis affectis, lib. V. cap. III.

CAPUT III.

Quum transimus ab pelliculae adversario ad ejus patronos, inprimis nobis dolendum est, quod plurima experimenta ab iis instituta neque observationum copia, neque integritate excellunt. In plurimis ratio nulla habita est valetudinis feminae universae, quae valde tardam etiam reddere potest hanc evolutionem, quam Bird[1]) et Moeller[2]) summi habent momenti; neque mentio est facta temporis jam a conceptione praeterlapsi, gravissimi rei discriminis, ut jure credunt Kane[3]), Stark, alii; nec suspicio ista, commixtionem muci seu puris turbare intuitionem, cathetere adhibito remota est. Restat igitur solum, ut singulas opiniones afferam singulorum scriptorum.

Nauche, qui nomen dedit Kiesteines (quod ad declarandum Hoefle inutilem adhibuit diligentiam),

---

[1]) Guys hosp. rep. Vol. 5. p. 15. Busch, neue deutsche Ztschrft. f. Gebkde. T. 15. Sct. 1.

[2]) Casper's Wochenschrift a. 1845. p. 23.

[3]) Kane, exper. on Kiesteine with observations on its application to the diagnosis of pregnancy. Americ. Journ. of the med. sc. July 1842. Cfr. ejusdem auctoris annotationes in Kennedy on obstetric auscultation.

hancce pelliculam substantiam floccosam albam pulveriformem esse dicit, quae intra triginta horas praecipitetur, facilius autem additis quibusdam alkoholis guttis. Hanc materiem esse putat principale illud constituens secretionem mammarum, caseinum. Hoc ita esse confirmat e modificatione, quam proferat alkohol additum, atque ex odore casei simillimo.

Proximi hoc observàrunt post eum Kane[1]) et Eguisier[2]). Quorum prior et lactantium urinas inspexit et de nonaginta quatuor feminis triginta duas invenit, quarum urina ei hanc variationem obtulit. Praeterit autem silentio conditiones multas accessorias, sed gravissimas, ut temporis spatium a partu praeterlapsum, febrem lochiorum, num affuerit, quum observaretur urina, lactationem ipsam, num impedita fuerit, alia hujuscemodi. Alias autem Kane bene meritus est in illa re investiganda, quum differentias exponit, quae sint inter pelliculas gravidarum et aegrotorum quorundam. Dissentit quidem ab Nauchio in demonstrando ex hac materie caseino, nihilominus autem declarandi eum etiam abripuit cupido et

---

[1]) l. c. et London med gaz. new Ser. Vol. 1. p. 189.

[2]) gaz. des hôpit. 1839. No. 23.

quum credat connexum, quem habeat hic cremor cum lacte, unicum esse, qui manifestus reddi debeat, ab illo observatore in eo invenitur, quod granula, materiem superficialem constituentia, simillima sint, teste Goddard, globulis colostri (!). Hi autem multo majores sunt et structuram habent granulosam, omnino à supra dictis diversam.

Tempus formationis statuit esse septimum mensem usque ad finem gestationis, qua opinione prorsus discedit ab omnibus ceteris scriptoribus, et saepissime, in triginta duobus casibus de octoginta quinque, secundo post emissam urinam die ex ea secerni dicit.

Eguisier accuratius sic describit ortum et decursum: In urina matutina, quam aptissimam esse primus dicit, nubecula exoritur vase medio, infimo autem sedimentum floccosum. Deinde post duos vel sex dies ascendunt[1]) corpuscula opaca in superficiem et crassam illam, quam auferre possumus, pelliculam formant, „membranae adiposae jusculi refrige-

[1]) Cel. Hoefle, qui Eguisierum Avicennae plagiatorem esse arguit, oblitus est, illum corpuscula non ascendentia modo, sed descendentia quoque vidisse, quod mihi quidem contrarium potius esse videtur Eguisieri descriptioni.

rati simillimam," quam similitudinem a cunctis scriptoribus posterioribus iterum iterumque allatam invenimus. In Eguisieri opusculo et mentio facta est observationum, quos E. Rousseau [1]) in animalibus instituit praegnantibus. Invenit pelliculam in quatuor primis mensibus, in postremis autem non item.

Amplissimas hujus rei instituit indagationes J. Stark [2]). Describit accurate, paene accuratius, formationem cremoris e sedimento factam, quod „lanae carptae instar" mox in fundum cadat post urinae refrigerationem. Hinc ascendunt, ut Stark refert, granula χλωϱά, quae, quum membrana ab iis formata aliquot post dies sponte frietur, singula iterum descendunt; descriptio illa, quae plane aequat Avicennae supra dictam. Hancce pelliculam vero non nisi putredine effectam esse contendit, eam igitur minoris modo ponderis, eo majoris autem sedimentum ipsum esse, ex quo exorta ista sit. Hoc autem, cui nomen dat Gravidines, pathognomonicum esse pro graviditate credit et infausto cum successu compositionem ejus, quales sit, inquirit. Ut exem-

[1]) Lancette franc. Juni 1839.

[2]) l. c. et Frorieps Notizen. T. 21. No. 459. 460.

plum afferam chemicae auctoris methodi: Sedimentum,[1]) ait, solvitur aqua ammoniae et praecipitatur acido muriatico; idem autem sedimentum[2]) solvitur quoque acido muriatico, e quo aqua ammoniae praecipitatur. Quae nullo modo, aut facillime declaranda sint. In fine opusculi Stark, quum cujuslibet generis sedimenta non inesse in Gravidine sua invenerit, hoc novum et inconsuetum prolem non legitimam albuminis et gelatinae proclamat.

Majus praebent pretium annotationes ejusdem auctoris de tempore apparitionis. Primum Gravidinen vidit sex hebdomadibus post conceptionem, integerrimam autem et copiosissimam tertio mense, irregularem et raram mense octavo et serius. Ultimis mensibus, siquidem evolutionem valde retardatam fuisse arbitratur, fortasse „nidos" modo vibrionum eum vidisse credibile est.

Atra autem cura, qui sit connexus inter sedimentum et mammas, post Starkium quoque sedebat. Birdii quidem dissentit opinioni, qui odore caseinum eruit, superbissime autem ipse ostentat similitudinem

---

[1]) Froriep, l. c. p. 301.

[2]) l. c. p. 317.

decompositionis, quam habeat haec urina cum lotio arte cum lacte commixto.

Adversarius ejus Griffith[1]) eo pervenit, ut neque Kiesteinen neque Gravidinen unquam existere concluderet.

Golding Bird[2]), qui inquirendae hujus materiei naturae magnam navabat operam, hancce tulit sententiam: In triginta casibus tres modo urinae illam evolutionem non ostenderunt. Pellicula, secundo die formata, crystallis magnesiae phosphoricae ammoniatae composita erat et substantia quadam organica, quae liquore ammonii solvebatur.

Opinio quam profitetur Bird, pelliculam istam saepissime nasci reagente adhuc acide urina vehementur castigatur a Scherero[3]), axioma defendente, magnesiam phosphoricam ammoniatam in urina acida existere non posse, quod jam Donné[4]) falsum esse demonstravit.

Causis idoneis non allatis Bird edixit, Kiesteinen

---

[1]) Edinburgh and London monthly Journ. of med. sc. Jul. and Dec. 1842. p. 563 sq.

[2]) Loco modo laudato. 1842. Nov. p. 972 et l. c.

[3]) Canstatt, Jahresber. f. 1843. T. 2. p. 125.

[4]) Cours de microscopie, p. 246.

accessorium modo esse graviditatis signum, quamvis ejus principalem caseinum esse putaret (quod ex odore eum percepisse jam supra dixi), Starkio quidem contra [1]) dicente, hanc materiem non, sicut caseinicam, ab acidis praecipitari. (Audouard [2]) solus contendit, hanc materiem ab acidis fortioribus non omnino solvi, quamvis Bird [3]), Stark [4]), Letheby [5]), Vannoni [6]) contrarium affirment.)

Minores sunt, quae nunc sequuntur, Gallorum et Anglorum indagationes. Montgomery [7]) praecipue in urina clarissima hanc formationem vidit, eamque simili modo, quo Stark, mixtis urinae et lacti comparat. Letheby [8]) granula accuratius describit ut corpuscula diametrum habentia $^1/_{32000}$″ — $^1/_{8000}$″ (majores quidem nostri non ita minute scrutantes parvas istas particulas, „ventositate impletas" paulo

---

[1]) Ed. and. Lond. monthl. J. 1842. p. 972.

[2]) Journ. de chimie méd. 1845. p. 233.

[3]) l. c. [4]) l. c.

[5]) London med. gaz. Dec. 1841.

[6]) Gaz. des hôp. 1844. N. 37.

[7]) Dublin journ. Vol. 6. p. 422.

[8]) l. c.

minores esse dicebant pisi dimidio [1]. Quod ad causam spectat physiologicam, lac secretione adhuc impeditum in sanguinem reverti et ita rem fieri opinatur, Birdii secutus hypothesin. M'Pheeters et Parry [1] in viginti novem casibus quater modo Kiesteinen defuisse dicunt, cujus formatio inceperit secundo die et quarto completa fuerit. Ejus exitum, fractionem et descensum, non viderunt. Turchetti [1] Eguisierum secutus est in descriptione neque singulare quidquam praebet. Hic scriptor autem, sicuti Cenni [1] saepius nihil in urina formari addit. Donné [1], qui jam antea [1] disquisitioni hujus urinae animum intenderat et propriam ejus singularemque indolem nimio fere modo proclamarat, quam quae semper reperiri posset, recentissimo tempore omnia illa negat et plane nihil peculiare inesse hujus generis

[1]) Wallaeus institution. lib. 2. cap. 6.

[1]) American. med. Intelligencer 15 Mars 1841. Oppenheim's Ztschrft. T. 19. p. 103.

[1]) Raccoglitore medico, Giugn. 1841. Examinateur méd. 9 Octob. 1841.

[1]) Loco modo laudato.

[1]) Cours de microscopie p. 235.

[1]) Gaz. méd. de Paris. 1841, 15 Mars, et Lubansky in annal. d'obstétr. 1842. Janv. 1. p. 24.

urinis censet. Quam metamorphosin jam saepius vidimus.

Reynaud [1]) denique Kiesteinen non modo nihil valere ad definiendam graviditatem, sed ne existere quidem opinatur.

Gobée [2]), qui semper invenit hanc pelliculam, et in lactantibus adeo, eam facillime dignoscendam esse ab aliis ejusmodi phaenomenis arbitratur. Certum igitur habet eam signum diagnosticum, nisi durante lactatione. In omnibus graviditatis mensibus vidit, excepto primo, quo opportunitas ei defuit disquirendi.

Scriptorum autem insuper nonnullorum, qui de hac re egerunt, nomina invenies et opera indice affixo relata.

Ceterum de fatis, quae Kiesteine habuerit in Germania, reliqua propediem edentur.

---

[1]) Révue medico-chirurg. Avr. 1847.

[2]) Nederlandsch Lancet. 1842. p. 114.

INDEX AUCTORUM.

Nauche. Lancette franc. 1831. Lancet N. 417. p. 675. Froriep, Notizen Vol. 32. N. 686. Journ. de chimie méd. II. Serie. T. 5. p. 64.

Eguisier. Lanc. fr. 1839. Juin. Gaz. des hôpit. 1839. N. 23. Schmidt, Jahrb. Vol. 29. p. 50. lib. du diagnostic de la grossesse par l'examen de l'urine. Paris 1842.

Kane. Experiments on Kiesteine with observations on its application to the diagnosis of pregnancy, in American. Journ. of the med. sc. 1842 Jul. Lond. med. gaz. New Serie V. I. p. 189. Froriep, Not. V. 39. p. 256. Canstatt, Jahresber. 1842. p. 125.

M'Pheeters et Parry. On Kiesteine. Americ. med. Intelligencer 1841. 15 Mars. Oppenheim, Ztschrft. V. 19. p. 103. Canstatt, Jahresber. 1841. p. 10.

Letheby. Lond. med. gaz. 1841 Dec. Oesterr. med. Wochenschrift 1842, 29. Oct. Froriep, Not. V. 23. p. 112.

Golding Bird. Guys hosp. rep. 1840. No. 10. April. Lond. and Edinb. monthl. Journ. 1842. p. 972. Canstatt l. c. 1843. V. 2. p. 125. Schmidt, Jahrb. V. suppl. 3. p. 4.

James Stark. Edinb. med. and surg. Journ. 1842. Jan. p. 156. Froriep l. c. V. 21. N. 459. 460.

Donné. Gaz. méd. de Paris 1841, 15 Mars. Oesterreich. med. Wochenschr. 1841, 7. Aug. lib. cours de microscopie. Paris. p. 235.

Lubansky. Annales d'obstétrique etc. 1842, Janv. p. 24.

Griffith. Lond. and Edinb. monthly Journ. of med. sc. 1842, Jul. p. 563. Dec.

Dodd. Examinateur méd. 1841, 19. Sptbr.

Dubois. Gaz. des hôp. 1841. N. 32, 57, 60.

Montgomery. Dublin journ. V. 6. p. 422.

Turchetti. Sur deux signes etc. Raccoglitore med. 1841. Giugno. Examinat. med. 1841, Oct.

Cenni loco modo laudato.

Vannoni. Gaz. des hôp. 1844. N. 37.

Audouard (filius). Journ. de chim. méd. 1845. p. 233.

Reynaud. Révue méd.-chir. 1847, Avr.

Gobée. Nederlandsch Lancet. 1843, Apr. Oppenh. Zeitschr. 1844. V. 27. p. 216.

S... Boerhave. Tijdschrift foor Geneeskunde. 1843.

Simon. Beiträge z. Chemie u. Mikrosk. T. 1. p. 353.

Lehmann. Lehrb. der phys. Chemie. T. 1. p. 252. Wagner's Handwörterb. der Phys. T. 2. p. 23.

Moeller. Caspers Wochenschr. 1845. N. 2. 3.

Mickschick. Oesterr. Jahrb. 1845. Vol. 54. p. 304.

Zimmermann. Caspers Wchschr. 1846. N. 22.

Scherer. Canstatt, Jahresberichte 1843. T. 2. p. 125. Ibid. T. 1. p. 157.

Kriegelstein. Hufelands Journ. 1838, Oct.

Kleybolte. Caspers Wchschr. 1845. N. 17.

Hoefle. Chemie und Mikroskopie am Krankenbette. p. 328. annotat. p. 149.

Cohen. De urina gravid. (dissert.) Heidelberg 1843.

Brandenburg-Schaeffer. De graviditatis ex urina signo. (dissert.) Rostoch. 1843.

Reichenbach. Nonnulla ad diagn. gravid. (dissert.) Lips. 1845.

Simson. De dignitate Kyestheini. (dissert.) Regiom. 1848.

V I T A.

Natus ego sum Rudolphus Conradus Vitus Weiss, ecclesiae evangelicae addictus, Novifori, Silesiae mediae oppido, anno h. s. XXII. d. XVIII. mensis Aug. patre Carolo Guilelmo, quem morte mihi ereptum valde lugeo, matre Carolina e gente Eichner. Domestica primum institutione usus, anno vitae decimo gymnasium adii, quod Vratislaviae floret, Magdalenense. Schola hacce per quatuor annos frequentata, per biennium gymnasium adii Fridericianum. Testimonio maturitatis instructus anno h. s. XL. almam literarum sedem Viadrinam petii et ab ill. Hahn, rectore magnifico, civibus academicis adscriptus, ill. Henschel, t. t. decano ordinis medici spectatissimo, nomen dedi. Ibi per tria semestria lectionibus interfui et philosophicis et anatomicis et medicis. Anno h. s. XLI. almam universitatem Ruperto-Carolinam adii et ab ill. Rosshirt inter cives academicos receptus sum. Hic lectiones frequentavi et medicas et chirurgicas et obstetricias per semestria tria. Tum Berolinum me

conteli et sub auspiciis rectoris de Raumer et decani medicorum spectatissimi Muelleri inter cives academicos et in album medicum relatus, clinica frequentavi et chirurgica et medica et obstetricia, saepius quidem mala impeditus valetudine.

Tentaminibus jam tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso rite superatis, fore spero, ut dissertatione thesibusque palam defensis, summi medicinae et chirurgiae honores in me conferantur.

THESES.

1. Brephotrophea sunt instituenda.
2. Tissotismus perniciosior mihi videtur ipsa onania.
3. Medicina statistica maxime promoveri potest associationibus medicorum.
4. Quae ab herbariis nostris vocatur atropa mandragora, non eandem esse credo herbam, cujus apud veteres haud infrequens injicitur mentio.
5. Non clausum os in gravidis, sed laxum, recte ait Hallerus, negantibus quidem recentioris aetatis auctoribus.